 Contigit, & cecinit iussos inflata recessus,  
 Omnibus audita est telluris & æquoris vndis:  
 Et quibus est vndis audita, coercuit omnes.  
 Iam mare littus habet, plenos capit alueus amnes,  
 Flumina subsidunt, colles exire videntur:  
 Surgit humus, crescunt loca decrescantibus vndis.  
 Postque diem longam nudata cacumina syluæ  
 Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.  
 Redditus orbis erat: quem postquam vidit inanem,  
 Et desolatas agere alta silentia terras  
 Deucalion, lachrymis ita Pyrrham affatur obortis:  
 O soror, ô coniux, ô fœmina sola superstes,  
 Quam commune mihi genus, & patriuelis origo,  
 Deinde torus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt:  
 Terrarum, quascunque vident occasus & ortus:  
 Nos duo turba sumus, possedit cætera pontus.  
 Hæc quoque adhuc vitæ non est fiducia nostræ  
 Certa satis, terrent etiam nunc nubila mentem.  
 Quis tibi, si sine me fatis erepta fuisses,  
 Nunc animus miseranda foret? quo sola timorem  
 Ferre modo posses? quo consolante \* doleres?  
 Nâque ego (crede mihi) si te quoque pontus haberet,  
 Te sequerer coniux, & me quoque pontus haberet.  
 O vtinam possem populos reparare paternis  
 Artibus, atque animas formata infundere terra.

\* dolores

Nunc genus in nobis restat mortale duobus.  
Sic visum est superis: hominumque exēpla manemus.  
Dixerat, & flebant: placuit cæleste precari  
Numen, & auxilium per sacras quærere sortes.  
Nulla mora est, adeunt pariter Cephisidas yndas,  
Et nondum liquidas, sed iam vada nota secantes.  
Inde ubi libatos irrorauere liquores  
Vestibus & capiti, flectunt vestigia sacra  
Ad delubra Dea: quorum fastigia turpi  
Squalebant musco, stabantque sine ignibus ara.  
Ut templi tetigere gradus procumbit vterque  
Pronus humi, gelidoque pauens dedit oscula saxo.  
Atque ita, si precibus, dixerunt, numina iustis  
Victa remollescunt, si flectitur ira Deorum,  
Dic Themis, qua generis damnum reparabile nostri  
Arte sit, & mersis fer opem mitissima rebus.  
Mora dea est, sortemque dedit, Discedite templo,  
Et velate caput, cinctasque resolute vestes,  
Quasque post tergum magnæ iactate parentis.  
Obstupuere diu, rupitque silentia voce  
Pyrrha prior, iussisque dea parère recusat.  
Dætque sibi veniam, pauido rogat ore, pauidetque  
Ledere iactatis maternas ossibus umbras.  
Interea repetunt cecis obscura latebris  
Verba data sortis secum, inter seque volutant.  
Inde Promethides placidis Epimethida dictis  
Mulcet, &, Aut fallax, ait, est solertia nobis,  
Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.  
Magna parens, terra est: lapides in corpore terræ  
Ossa reor dici, iacere hos post terga iubemur.

Cap. sub flumini qd ad pñasi sadico  
 pñasi flumini unde lucanus l. 2. Asti chos  
 duas inos impige ameggi iudica capiti aqua pñ  
 flumini pñ ameggi duocabo et pñ in flumini pñ  
 flumini pñ flumini aqua pñ pñ que mod pñ  
 flumini pñ pñ pñ pñ

Polibant. Antiquitas. Purgantia. Amples aqua.  
apertat. Purgantia. Viri. 2. dno. 16. Puc. etia  
maxim. pro. ad. Quor. Dign. interuenit. 2.

*Desmodium osatii* & *pyra*

2. <sup>4</sup> X d'usite. deu oucul a fupre, fin p<sup>o</sup> ambigua.

5  
 1. ardet magna fira vocat brde plimiu  
 2. ferro ferudo & o la. lapido que admodu cu miqua  
 3. se pmo gfa. p. pndit ita in terra lapidet

6  
 Make of me mandatis dno. p[ro]p[ri]a o[ra]t[i]o[n]i

Animals being not animals p<sup>r</sup> se & c<sup>o</sup> // Sat<sup>r</sup> c<sup>o</sup>  
 composed of parts p<sup>r</sup> se as in et unum p<sup>r</sup> se

# METAMORPHOSEON

Coniugis augurio quanquam Titania mota est,  
Spes tamen in dubio est, adeo cœlestibus ambo  
Diffidunt monitis: sed quid tentare nocebit?  
Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt,  
Et iussos lapides sua post vestigia mittunt.  
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)

Ponere duritiem cœpere, suumque rigorem,  
Molliri que mora, mollitæque ducere formam.  
Mox ubi creuerunt, naturæque mitior illis  
Contigit, ut quadam, sic non manifesta videri  
Forma potest hominis, sed uti de marmore cœpta,

Non exacta satis, rudibusque simillima signis.  
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo  
Et terrena fuit, versa est in corporis usum:

Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa.

Quæ modò vena fuit, sub eodem nomine mansit:

Inque brevi spacio, superiorum numine, saxa  
Missa viri manibus, faciem traxere virorum,

Et de fœmineo reparata est fœmina iactu.

Inde genus durum sumus, experiensque laborum,

Et documenta damus, quæ simus origine nati.

Post cataclysmum factum, edidit terra Pythonem, serpentem, specie  
ignota mortalibus. Hunc Apollo sagittis interemit. Et ne eius  
aboleret nomen, instituit ludos & certamina, quæ iam in his ludis  
ostendit. Vnde etiam Apollo Pythius est appellatus, ludique Pythii,  
De quibus multa apud Græcos mentio.

Cætera diuersis tellus animalia formis  
Sponte sua peperit, postquam vetus humor ab igne  
Perkaluit Solis, cœnũque, vdaque paludes  
Intumuerunt æstu, fœcundaque semina rerum

Viuaci nutrita solo, ceu matris in aluo  
 Creuerunt, faciemque aliquam cepere morando.  
 Sic vbi deseruit madidos septemflus agros  
 Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alueo,  
 Aethereoque recens exarsit sydere limus,  
 Plurima cultores versis animalia glebis  
 Inueniunt, & in his quaedam modo nata, sub ipsum  
 Nascendi spatium, quaedam imperfecta, suisque  
 Trunca vident humeris: & eodem in corpore saepe  
 Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.  
 Quippe vbi temperiem sumpsere humorq; calorque,  
 Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.  
 Cumq; sit ignis aquae pugnax, vapor humidus, omnes  
 Res creat, & discors concordia foetibus apta est.  
 Ergo vbi diluuium tellus lutulenta recenti,  
 Solibus aethereis, altoque recanduit aestu,  
 Edidit innumeras species, partimque figuras  
 Rettulit antiquas, partim noua monstra creauit.  
 Illa quidem noller: sed te quoque maxime Python  
 Tum genuit, populisque nouis incognite serpens  
 Terror eras, tantum spaci de monte tenebas.  
 Hunc deus arcitenens, & nunquam talibus armis  
 Ante, nisi in damis, capreisque fugacibus vsus,  
 Mille grauem telis, exhausta pene pharetra,  
 Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.  
 Neue operis famam posset delere vetustas,  
 Instituit sacros celebri certamine ludos,  
 Pythia perdomitae serpentis nomine dictos.  
 Hic iuuenum quicumque manu, pedibusue, rotane,  
 Vicerat, esculae capiebat frondis honorem.

# METAMORPHOSEON

Nondum laurus erat, longoque decencia crine  
Tempora cingebat de qualibet arbore Phæbus.

Daphne Penei fluminis filia, cum omnium virginum quæ in Theffalia essent speciosissima haberetur, adeo quidem, ut deos pulchritudine sua caperet, Apollo cum eam conspexisset, forma eius expalluit. Quam cum neque pollicitis, neque precibus adire potuisset, vim ut inferret instituit. & illa cursu conspectum eius effugere cupiens, patrem inuocauit, ut virginitati suæ, quam sibi permiserat, ferret auxilium, quam ille, auditis precibus filię, Deorum ut vim effugeret, in laurum conuertit.

Primus amor Phæbi Daphne Peneia, quem non Sors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.

Delius hunc nuper victo serpente superbus,

Viderat adducto flectentem cornua neruo,

Quidque tibi lasciue puer cum fortibus armis?

Dixerat, ista decent humeros gestamina nostros,

Qui dare certa fera, dare vulnera possumus hosti,

Qui modò pestifero tot iugera ventre prementem

Strauimus innumeris timidum Pythona sagittis.

Tu face nescio quos esto contentus amores

Irritare tua: nec laudes asserere nostras.

Filius hic veneris, figat tuus omnia Phæbe,

Te meus arcus, ait: quantoque animalia cedunt

Cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.

Dixit, & eliso percussis aere pennis,

Impiger umbrosa Parnassi constitit arce,

Dæque sagittifera prompsit duo tela pharetra

Diuersorum operum, fugat hoc, facit illud amorem.

Quod facit, auratum est, & cuspide fulget acuta:

Quod fugat, obtusum est, & habet sub aridine plūbū.

Hoc deus in nympa Peneide fixit, at illo

Lesit Apollineas traiecta per ossa medullas.

# LIBER I.

*Diana hinc et latine filia quae dedit pater  
II. et amorem dicitur virginis hinc, dat opus  
omni pater hinc dedit et hinc, vacat  
unde quia ad actum et c. semper fuit aliquando  
operta et c. actum hinc ceterum amantem hinc autem  
dicitur amula et c. dedit gaudet et c. quod dedit  
et Diana pater virginis hinc dedit et c.  
operta et ceterum hinc operta et c.*

Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis,  
Sylvarum latebris, captivarumque ferarum  
Exuviis gaudens, innupta que amula Phæbes.  
Vitta coercebat positos sine lege capillos.  
Multi illam petiere, illa auersata petentes,  
Impatiens expersque viri, nemora auiâ lustrat:  
Nec quid hymen, quid amor, quid sint conubia, curat.  
Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes:  
Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes.  
Illa velut crimen tædas exosa iugales,  
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,  
In que patris blandis hærens ceruice lacertis,  
Da mihi perpetua genitor charissime, dixit,  
Virginitate frui, dedit hoc pater antè Diana.  
Ille quidem obsequitur, sed te decor iste, quod optas  
Esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.  
Phæbus amat, visæ que cupit connubia Daphnes.  
Quodque cupit, sperat, suaque illum oracula fallunt.  
Vt que leues stipula demptis adolentur aristis,  
Vt facibus sepes ardent, quas forte viator  
Vel nimis admonuit, vel iam sub luce reliquit,  
Sic deus in flammâ abiit, sic pectore toto  
Vritur, et sterilem sperando nutrit amorem.  
Spectat inornatos collo pendere capillos,  
Et, quid si comantur? ait. Videt igne micantes  
Syderibus similes oculos: videt oscula, quæ non  
Est vidisse satis, laudat digitosque, manusque,  
Brachiaque et nudos media plus parte lacertos.  
Si qua latent, meliora putat, fugit ocyor aura  
Illa leni, neque ad hæc renocantis verba resistit,

*Simili modo et quia apollinis hinc  
stendit  
3  
Dicitur remanere dicitur propriis qu  
dicitur aut dicitur hinc dicitur hinc  
bat et ceterum dicitur hinc  
et quia ad actum et c.  
3  
et ceterum dicitur hinc  
4  
dicitur et ceterum dicitur hinc  
dicitur operta pater*

# METAMORPHOSEON

Nympha precor Peneia mane, non insequor hostis.  
 Nympha mane: sic agna lupum, sic cerua leonem,  
 Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,  
 Hostes quæque suos: amor est mihi caussa sequendi.  
 Me miserum, ne prona cadas, indignave laedi,  
 Crura notent sentes, & sim tibi caussa doloris.  
 Aspera quæ properas, loca sunt: moderatius oro  
 Curre, fugamque inhibe: moderatius insequar ipse.  
 Cui placeas inquire tamen: non incola montis,  
 Non ego sum pastor, non hic armenta gregesque  
 Horridus obseruo: nescis temeraria, nescis  
 Quem fugias, ideoque fugis: mihi Delphica tellus,  
 Et Claros, & Tenedos, Pataraæque regia seruit:  
 Iuppiter est genitor: per me quod eritque, fuitque,  
 Est quæ patet, per me concordant carmina nervis.  
 Certa quidem nostra est, nostra tamen vna sagitta  
 Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit.  
 Inuentum medicina meum est, opifexque per orbem  
 Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.  
 Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis:  
 Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus, artes.  
 Plura locuturum rapido Peneia cursu  
 Fugit, cumque ipso verba imperfecta reliquit.  
 Tunc quoque visa decens, nudabant corpora venti,  
 Obuiæque aduersas vibrabant flamina vestes,  
 Et leuis impulsos retro dabat aura capillos.  
 Aucta fuga forma est: sed enim non sustinet ultra  
 Perdere blanditias iuuenis deus, ut que monebat  
 Ipse amor, admissio sequitur vestigia passu.  
 Ut canis in vacuo leporem cum gallicus aruo

ad hoc et illud quare Cantab dicat a polli  
arborescens et ex multiplici similitudine qui  
arbores antiquis dicitur Cantab in apud veteres  
canis, jagulis, pascuis, canis singulantes. singulis  
tenet, qui vicissim de pascuis portantur Cantab  
vexilla dicitur canis. vide per de canis arboris  
capitulum 12.

Antiqua more qui superiores facti in ipsa etiam  
et capitulum 13. vide Cantab ut boni capitulum  
facit canis.

per se quid

nam et ad hoc impetum coram qui in eo  
quibus dispersis testis media antequam per se  
fuit duas eundem in qua et quibus testis

# METAMORPHOSEON

*Vt' que meum intonsis caput est iuvenile capillis,  
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores:  
Finierat Paean, factis modò laurea ramis  
Annuit, vt' que caput visa est agitasse cacumen.*

Io Inachi amnis filia, cum æquales sua specie præcederet, ab Ioue adamata est, qui ad motis precibus desiderium expleuit: & ne puella Iunonis iram incideret, à compressore in vaccam est transfigurata. cuius fallaciam Iuno cum intellexisset, petit eam à Ioue velut munus sibi dari vaccam, quod speciosissima erat, cæteris armentis, quæ in Peloponneso essent. Iupiter veritus ne si negasset, proderet puellam, tribuit confestim. Iuno autem ne amplius eius pellex cum Ioue concumberet, Argum Aristoris filium centum oculos habentem ei præposuit. Quem Mercurius patris iussu interemit, & à casu eius Argiphonos est cognominatus. Iuno Argum, quem ob custodiam ille occiderat, in volucrem pavonem transformavit: & receptum in suam tutelam pennis insignibus, quibus amissa centum Argi lumina indicaret, ornauit.

*Est nemo AEmonia, prærupta quod vndiq; claudit  
Sylva, vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo  
Effusus Pindo, spumosis voluitur vndis,  
Deiectuque graui tenues agitantia fumos  
Nubila conducit, summisque aspergine syluis  
Influit, & sonitu plus quàm vicina fatigat.  
Hæc domus, hæc sedes, hæc sunt penetralia magni  
Amnis, in his residens, factò de cautibus antro,  
Vndis iura dabat, nymphisque colentibus vndas.  
Conueniunt illuc popularia flumina, primum  
Nescia gratentur, consolentur ne parentem,  
Populifer Sperchius, & irrequietus Enipeus,  
\*Eridanus \*Apidanusq; senex, lenisq; Amphrysus, & \*Aeas,  
\*Aous  
Moxque amnes alij: qui, quæ tulit impetus illos,  
In mare deducunt fessas erroribus vndas.  
Inachus vnus abest, imòque reconditus antro*

\* ne

\* Eridanus

\* Aous

<sup>maior et amplior</sup> <sup>de fide</sup> <sup>propter</sup>  
 Fletibus auget aquas, natamque miserrimus Io  
 Luger ut amissam: nescit, vitæne fruatur,  
 An sit apud manes: sed quam non inuenit vsquam,  
 Esse putat nusquam, atque animo peiora veretur.  
 Viderat à patrio redeuntem Iuppiter illam  
 Flumine, & , ô virgo Ioue digna, tuoque beatum  
 Nescio quem factura toro, pete, dixerat umbras  
 Aut horû, aut horû nemorû ( & mōstrauerat ambas )  
 Dum calet, & medio sol est altissimus orbe.  
 Quod si sola times latebras intrare ferarum,  
 Præsides tuta deo nemorum secreta subibis,  
 Nec de plebe deo, sed qui cœlestia magna  
 Sceptra manu teneo, sed qui vaga fulmina mitto.  
 Ne fuge me: fugiebat enim: iam pascua Lerne,  
 Consitæque arboribus Lyrcea reliquerat arua,  
 Cum deus inducta latas caligine terras  
 Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.  
 Interea medios luno despexit in agros,  
 Et noctis faciem nebulas fecisse volucres  
 Subnitido mirata die, non fluminis illas  
 Esse, nec humenti sensit tellure remitti:  
 Atque suus conuix ubi sit circumspicit, ut quæ  
 Deprensi toties bene nosset furtiva mariti.  
 Quem postquam cælo non repperit, aut ego fallor,  
 Aut ego lædor, ait: delapsæque ab æthere summo,  
 Constitit in terris, nebulasque recedere iussit,  
 Coniugis aduentum præsenferat, in' que nitentem  
 Inachidos vultus mutauerat ille iuuenecam.  
 Bos quoque formosa est: speciem Saturnia vaccæ,  
 Quanquã inuita, probat: necnon & cuius, & vnde,

# METAMORPHOSEON

Quove sit armento, veri quasi nescia querit.  
 Iuppiter è terra genitam mentitur, ut author  
 Desinat inquiri: petit hanc Saturnia munus.  
 Quid faciat? crudele suos addicere amores:  
 Non dare, suspectum: pudor est qui suadeat, illinc:  
 Hinc dissuadet amor: victus pudor esset amore:  
 Sed leue si munus sociæ generisque torique  
 Vacca negaretur, poterat non vacca videri.  
 Péllice donata non protinus exiit omnem  
 Diua metum, timuitque Iouem, & fuit anxia furti.  
 Donec Aristoridæ seruandam tradidit Argo.  
 Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,  
 Inde suis vicibus capiebant bina quietem,  
 Cætera seruabant, atque in statione manebant.  
 Constiterat quocunque loco, spectabat ad Io:  
 Ante oculos Io, quanuis auersus, habebat.  
 Luce sinit pasci: cum Sol tellure sub alta est,  
 Claudit, & indigno circumdat vincula collo.  
 Frondibus arboreis, & amara pascitur herba:  
 Proque toro terræ non semper gramen habenti  
 Incubat infelix, limosaque flumina potat.  
 Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet  
 Tendere, non habuit quæ brachia tenderet Argo.  
 Et conata queri, mugitus edidit ore,  
 Pertimuitque sonos, propriâque exterrita voce est.  
 Venit & ad patrias, ubi ludere sæpe solebat  
 Inachidas ripas, nouâque ut conspexit in vnda  
 Cornua, pertimuit, seseque exterrita fugit.  
 Naiades ignorant, ignorat & Inachus ipse,  
 Quæ sit: at illa patrem sequitur, sequiturque sorores:

*Naiades nesciunt, Inachus ipse  
 quæ sit: at illa patrem sequitur, sequiturque sorores:*



# METAMORPHOSEON

*Somniferam sumpsisse manu, tegiménque capillis.*

*Hæc ubi disposuit: patria Ioue natus ab arce*

*Defilit in terras: illic tegiménque remouit,*

*Et posuit pennas, tantummodo virga retenta est:*

*Hac agit, ut pastor, per deuia rura capellas*

\* venit

*Dum \* vehit, adductas, & structis cantat auenis.*

*Voce nouæ captus custos Iunonius artis,*

*Quisquis es, hoc poteris mecum considerare saxo,*

*Argus ait: neque enim pecori fœcundior vllò*

*Herba loco est, aptamque vides pastoribus umbram*

*Sedit Atlantiades, & euntem multa loquendo*

*Detinuit sermone diem, iunctisque canendo*

*Vincere arundinibus seruantia lumina tentat.*

*Ille tamen pugnat molles euincere somnos.*

*Et quāuis sopor est oculorum parte receptus,*

*Parte tamen vigilat: quærit quoque (nanque reperta*

*Fistula nuper erat) qua sit ratione reperta.*

Syrinx nympharum Naiadum, quæ circa montes Arcadiæ vagabantur, speciosissima proditur fuisse. Quam cum Pan Mercurii filius adamasset, & eam persequeretur, cum ad amnem Ladona Arcadiæ compulisset, ipsa ne vi castitatem deponere cogeretur, sororum Naiadum auxilio in harundinem conuersa est, ex qua fistula est composita, quæ nomine eius syrinx quoque nuncupatur. cuius cantu Argus in somnos compulsus est, quo facilius eum Mercurius interficere posset.

*Tum deus, Arcadiæ gelidis in montibus, inquit,*

*Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas*

*Naias vna fuit, nymphæ Syringa vocabant:*

*Non semel & Satyros eluserat illa sequentes,*

*Et quoscunque deos umbrôsâque sylua, ferâxque*

*Rus habet: Ortygiam studiis ipsamque colebat*

Virginitate deam:ritu quoque cincta Diana  
 Falleret, & credi posset Latonia, si non  
 Corneus huic arcus, si non foret aureus illi.  
 Sic quoque fallebat redeuntem colle Lycao  
 Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acuta,  
 Talia verba refert, \* Tibi nubere nympha volentis  
 Votis cede dei. restabat plura referre,  
 Et precibus spretis fugisse per aua nympham,  
 Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem  
 Venerat: hic illam, cursum impredientibus vndis,  
 Ut se mutarent, liquidas orasse sorores.  
 Panâque, cum prensam sibi iam Syringa putaret,  
 Corpore pro nymphæ calamos tenuisse palustres:  
 Dùmque ibi suspirat, motos in arundine ventos  
 Effecisse sonum tenuem, similemque querenti.  
 Arte noua, vocis que deum dulcedine captum,  
 Hoc mihi colloquium tecum dixisse manebit:  
 Atque ita disparibus calamis compagine ceræ  
 Inter se iunctis, nomen tenuisse puellæ.  
 Talia dicturus, vidit Cyllenius omnes  
 Succubuisse oculos, adopertâque lumina somno,  
 Supprimit ex templo vocem firmâtque soporem,  
 Languida permulcens medicata lumina virga.  
 Nec mora, falcato nutantem vulnerat ense,  
 Quà collo est confine caput, saxoque cruentum  
 Deicit, & maculat præruptam sanguine rupem.  
 Arge iaces, quòdque in tot lumina lumen habebas,  
 Extinctum est, centumque oculos nox occupat vna.  
 Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis  
 Collocat, & gemmis caudam stellantibus implet.

\* hoc hemisti-  
 chiũ & p̄ximũ,  
 in vetustis codi-  
 cibus nō habē-  
 tur, & sic legi-  
 tur, Tal. verb.  
 ref. restabat ver-  
 ba referre.

# METAMORPHOSEON

Io supradicta cum Furiis exagitata orbē terrarū percurrisset, no-  
uissime in Aegyptū delata, ac placata Iunone à Ioue in pristinā fi-  
gurā reuersa est. Isidis deæ nomē accepit, vigilāsq; est appellata.

*Protinus exarsit, nec tempora distulit ira,  
Horriferāque oculis animōque obiecit Erinny  
Pellicis Argolicæ, stimulosque in pectore cecos  
Condidit, & profugam per totum terruit orbem.  
Vltimus immenso restabas Nile labori:  
Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripæ  
Procubuit genibus, resupinōque ardua collo,  
Quos potuit, solos tollens ad sydera vultus,  
Et gemitu, & lachrymis, & luctifono mugitu,  
Cum Ioue, visa queri est, finemque orare malorum.  
Coniugis ille suæ complexus colla lacertis,  
Finiat ut pœnas tandem, rogat: in' que futurum  
Pone metus, inquit: nunquam tibi caussa doloris  
Hæc erit. & Stygias iubet hoc audire paludes.  
Ut lenita dea est, vultus capit illa priores,  
Fitque quod antè fuit: fugiunt de corpore setæ,  
Cornua decrescunt, fit luminis arctior orbis,  
Contrahitur rictus: redeunt humerique, manūsque:  
Vngulæque in quinos dilapsa absumitur vngues.  
De boue nil superest, formæ nisi candor in illa:  
Officiōque pedum nymphæ contenta duorum  
Erigitur, metuitque loqui, ne more iuuentæ  
Mugiat, & timidè verba intermissa retentat.  
Nunc dea Niligera colitur celeberrima turba.  
Hinc Epaphus magni genitus de semine tandem  
Creditur esse Iouis, perque vrbes iuncta parenti  
Templa tenet: fuit huic animis æqualis & annis  
Sole satius Phaëthon, quem quondam magna loquētē,*

Nec sibi sedentem, Phæboque parente superbum  
Non tulit Inachides, matrique, ait, Omnia demens  
Credis, & es tumidus genitoris imagine falsi.  
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repressit,  
Et tulit ad Clymenen Epaphi conuitia matrem:  
Quoque magis doleas genitrix, ait, en ego liber  
Ille ferox tacui, pudet hæc opprobria nobis  
Et dici potuisse, & non potuisse refelli.  
At tu, si modo sum cælesti stirpe creatus,  
Ede notam tanti generis, meque assertere cælo.  
Dixit, & implicuit materno brachia collo:  
Pérque suum, Meropisque caput, t adâsque sororum  
Traderet orauit veri sibi signa parentis.  
Ambiguum est Clymene precibus Phaëtôtis, an ira  
Mota magis dicti sibi criminis, vtraque cælo  
Brachia porrexit, spectânsque ad lumina Solis,  
Per iubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis  
Nate tibi iuro, quod nos auditque, videtque,  
Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem,  
Sole satum: si ficta loquor, neget ipse videndum  
Se mihi, sitque oculis lux ista nouissima nostris.  
Nec longus patrios labor est tibi nosse penates:  
Vnde oritur, terræ domus est contermina nostræ:  
Si modò fert animus gradere, & scitabere ab ipso.  
Emicat extemplo letus post talia matris  
Dicta suæ Phaëthon, & concipit æthera mente,  
Æthiopasque suos, positosque sub ignibus Indos  
Sydereis transit, patriosque adit impiger ortus.

F I N I S.

P A R I S I I S,  
EXCVDEBAT THOMAS  
RICHARDVS,  
M. D. XLIX.



F I N I S